

*mum*: quod iterum soli cœlo competere extra controversiam est: & facit hæc proprietas cœlum ab omnibus corporum naturalium speciebus differre. Etiam si enim globus hic terrenus vastus, & tota elementaris regio multò adhuc vastior sit, cœlum tamen longe est vastissimum. Id enim non duntaxat integrum hunc terrarum orbem, sed universam etiam elementorum regionem ambitu suo continet, & præterea stellarum maximæ quantitatis est domicilium.

§. 19. Ex hac tam insigni magnitudine cœli non licet colligere, illud esse infinitum. Infinitum enim illud dicitur, cujus quantitatem si accipias, semper aliquid extra sumi potest. Aristot. lib. 3. physic. t. 62. At verò si quantitatem cœli accipias, non semper aliquid extra sumi potest: Sed ubi perveneris ad elementum ignis, cui cœlum est contiguum, nihil cœli amplius sumere poteris, quia cœlum non nisi ad elementum ignis se extendit. Unde utut sit maximæ quantitatis cœlum, finitum tamen est. Id confirmat ipse Philosophus, qui l. 1. de coel. c. 5. *expresse docet cœlum finitum esse.*

§. 20. Dicitur 5. cœlum esse corpus *subtilissimum*: quod verè de cœlo affirmari variis probari potest rationibus. Prima est, quod cœlum est